



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Aidanvs Ep. 31. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

solitudinem urbes; in urbes solitudinem dicens migrasse. Ipse totam Ægyptum concionabundus obibat, Christoq; longè plurimos jungebat, mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis post preces fufas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Ob id cum Alexandria in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic illi lectum cælum, cubile terra, culcitra cilicium, cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potius quam indormiebat, quòd molliùs tamen jaceret, lectulum hunc suum lacrymis quotidie lavabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in arenam à Petro Vercellensi Antistite, cui unà cum pluribus aliis capto libertatem apud barbarum Regem exoraverat, Cœnobitis Lacedensibus præesse iustus est, dum vitã simul & munere est functus. Porro quem ad geniculari ad tumulum Divi cernis, fraternæ cædis reus est. Hunc cum supplicem sacerdos quidam, sed non conscientia absolveret, annos plures à domesticis furis agitatus malaciam tandem animo apud cineres BONONII reperit. Veniam numerant ruptæ ultrò manicæ, quas reus ipse dextro cædis auctori brachio induxerat. Hæ nunc licet ferro sint, an non pulchriùs tamen suspensæ tumulo BONONIVM ornant, quam Manliani, quos ceteri abjecerat, torques facturi fuissent? *Ex Gabr. Palav.*

Licet cecideris, licet fueris in scelera devolutus, vide ne desperes; remansit tibi unde piissimo satisfactionis creditori. Absolve vis! ama. Caritas cooperat multitudinem peccatorum. S. Petr. Chrysol. Sermon. 94.

S. AIDANVS EP. 31. Augusti.

Hic ille AIDANVS est Lindisfarnensis Pontifex, quem ad Angliæ regnum Christo subiiciendum

ciendum purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) supra diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia, quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna dives fuit, hodie externæ culturæ est indiga. Cæterum AIDANVS, uti multum Regibus, ita plus aliquantò familiaris mendicabilis fuit. Ex his cum uni equum donasset phaleris regis superbum, & Oswini (frater is erat Regis) nobile donum, succensuit nonnihil Oswaldus & oburgavit AIDANVM. At cum hic pauca pro se dixisset, arque id tantum quæsiuisset ex Oswaldo, plùsne equum hominis mancipium, quam in paupere homine Dominum Christum adamaret? continuò in sese primò Rex, mox deinde in genua coram AIDANO descendit, & à Pontificiâ tiarâ veniam Regiæ coronæ rogavit. Et abstulit non hanc tantum, sed mortis etiam beatæ nuntium, cum modestissimo Rege non digna jam esse superba regna dictitaret AIDANVS. Porro cum hic in iratum mare oleum immisisset, oleo etiam mare vidisset, Flammas quoque, quas tyrannus Penda urbi injicere parabat, in suas partes traxit, & a versas ab urbe in hostes armavit. Ita victor è viâ abiit non sine triumpho, quem D. Cuthbertus tunc puer ducere illum in cælum vidit multo lumine nobilem. O triumphum tuum AIDANE sequi etiam nos pileati olim possimus! Ex ven. Bedæ hist. Eccl. l. 3.

Per misericordias pauperam misericordiam paramus, ut possimus esse de penâ liberis, & de salute securi: gratis misericordiam sperat ibi, qui hic non fecerit misericordiam: qui facit misericordiam, currit ad præmium; qui non facit, decurrit ad penam. S. P. Chryl. serm. 8.